



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 46. Regis Catholici anxietas ob bellicum Gallorum apparatusum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

mo decimo sexto die decima nona De-  
cembris exceptit.

Sæcul. XVI.  
A C. 1515.

§. XLVI.

*Regis Catholici anxietas ob bellicum  
Gallorum apparatus.*

**H**aud exiguo temporis intervallo usque ad hanc Sessionem excurrente Papa interea nequaquam otiosus spectator esse constituit eorum, quæ ultro citroque agitabantur, & quidem a Gallis, attentari noverat, ut ii numerofo delectu habito Mediolani Ducatum recuperarent, ab Italis vero, ut sese grandibus Galliarum Regis conatibus opponerent. Hos enim terrebat juvenilis Francisci ætas, animusque gloriæ appetens. Præ ceteris magis anxie Ferdinandi mentem occupabat ingens ille armorum apparatus; quæ enim Gallorum essent consilia dubius hærebat, quamvis Franciscus Rex, quod in Mediolanenses bellum pararet, minus sollicite occultasset; cum vero itidem se Helvetios invasurum obtenderet, inquietissimus curaram turbo Regis Catholici animum circumsonans nova indies cepit incrementa; se enim a Gallorum Rege deludi, ejusque arma Navarram spectare verebatur. Ast ubi foedus cum Venetis innovari, sibi que a Gallis induciarum prolationem ea lege,

E 4

ut

Sæcul. XVI. ut secretus de Mediolanensi Ducatu articulus aboleretur, proponi intellexerat, A.C. 1515. apertius, quid adversus eum Franciscus agitaret animo, introspectit. Quapropter collatis cum Cæsare consiliis ambo Pontifici exponunt, ventum esse ad novi foederis sanciendo necessitatem, primas eo curas fore intendendas, ut nulla mora validus exercitus in aciem educeretur; omnino enim Gallis iter in Italiam intercludendum. Præterea Ferdinandus ad Henricum VIII. Generum suum Oratorem ablegavit, qui pristinum inter eos foedus innovari curaret. Legatus, quamvis jamjam mense Majo Londinum advenisset, nonnisi tamen ineunte Octobri Legatione sua defungebatur, re infecta discedens, eoquod Angliæ Rex se ab Arragoniæ Rege nonnunquam circumventum fuisse, memoria retineret.

## §. XLVII.

*Fœdus Cæsaris cum Rege Catholico,  
Mediolani Duce, & Helvetiis  
adversus Gallos.*

Igitur Ferdinandus Papam, Helvetios, Cæsaremque ad mutuam armorum societatem sollicitabat. Haud ægre ad suas partes Imperatorem pertrahebat; hic enim, cum quodlibet foedus rebus suis propitium, alienis noxium esse cognosce-  
rel,